



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Conciliablvvm Constantinopolitanvm Oecvmenicvm Pseudooctavvm reprobatum, CCCLXXXIII. episcoporum, quo post obitum Ignatii restitutio Photii est confirmata, sancta & oecumenica Synodus octava plane ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

Stephanus episcopus Nepesinus.

*Presbyteri cardinales.*

Germanus presbyter tituli sanctorum Ioannis & Pauli.

Petrus presbyter tituli sancti Chryfogni.

Benedictus presbyter tituli sanctæ Balbinæ.

Hadrianus presbyter tituli sancti Laurentii.

Ioannes presbyter tituli sanctæ Cæciliæ.

*Diaconi cardinales.*

Paulus diaconus subscripsi.

Leo diaconus subscripsi.

Audisti, lector, additamentum Photii de abrogatione Concilii œcumenici VIII. sub Hadriano pontifice celebrati, iam superius apertissime redargutum falsitatis, ex recitatis Ioannis papæ VIII. epistolis. Sed detegitur in eodem commonitorio eadem etiam impostura ex ipsa subscriptione episcoporum, qua (vt ex supra positis vidimus) profitentur omnes, se commonitorio pro Photii restitutione subscribere. Quod si ex Synodi sententia definita fuisset damnatio œcumenicæ Synodi VIII. eademque commissa legatis in dato illis commonitorio, credibile utique est magis eam suis subscriptionibus expressuros fuisse, quam Photii restitutionem.



CONCILIABVLVM  
CONSTANTINOPOLITANVM

<sup>b</sup> OECVMENICVM PSEVDOOCTAVVM

<sup>c</sup> reprobatum, <sup>d</sup> CCCLXXXIII. episcoporum, quo

post obitum Ignatii <sup>e</sup> restitutio Photii est confirma-

ta, sancta & œcumenica Synodus octaua plane abro-

gata, & e symbolo illa particula, *Filioque*, sublata

fuit, <sup>f</sup> anno Domini DCCCLXXIX. tempore Ioannis

Papæ VIII.

NOTÆ.

<sup>a</sup> *Conciliabulum.* ] Hæc Synodus Basilio imperatore & Photio procurantibus a Ioanne papa eius nominis octauo, ob Photii restitutionem dumtaxat, non vero (vt calumniose refert commonitorium quod aetione II. huius Conciliabuli a Photio falsatum & corruptum inuenitur) ad octauæ Synodi abrogationem & reprobationem indicta fuit. Etiam si enim germanum illud verum & incorruptum commonitorium, quod Petro legato sedis apostolicæ datum est, inter epistolas Ioannis papæ non reperiatur: tamen illud, quod

A quo, & cur indictum?

Commonitorium legato datum quale?

*Concil. Tom. 24.*

Nnn

apud Baronium ex actis Conciliabuli huius Latine translatis descriptum inuenitur, in fine vbi episcopi subscripserunt, manifestis verbis indicat, quod tantum pro receptione Photii, quo cum Ioannes papa ob causas supra commemoratas dispensandum putarat, legatio Constantinopolim mittenda fuit. Idem patet ex epistola Ioannis 203. ad Paulum Anconitanum, & Eugenium Ostiensem Constantinopoli degentes, qua dicit: *Vos huic Petro religioso presbytero cardinis nostri, familiarique nostro sociamus, quatenus ea quæ pro pace & unitate ecclesiæ Dei agenda sunt, secundum apostolicos nostræ auctoritatis apices, & secundum commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum, sagaci valde intuitu simul agatis, &c.* Itaque commonitorium rerum agendarum legatos sedis apostolicæ quidem accepisse certum est, sed non illud quod actione secunda huius Conciliabuli recitatum, corruptum, & a Photio falsatum reperitur. Quod vero de abolenda vera Synodo octaua sub Hadriano papa habita, hoc commonitorium continetur, Photii commentum est non minus quam illa additamenta, quæ pro veræ octauæ Synodi abrogatione, sui que expurgatione epistolæ Ioannis 199. ad Basilium imperatorem: nec noui 201. ad Photium scriptis, architectus falsitatis calumniose addidit.

Photius  
commonitorium cum  
duabus epistolis Ioannis  
papæ  
VIII. corruptum.

Vnam sub  
nomine  
Ioannis  
effinxit de  
processione  
Spiritus  
sancti.

Photius  
Ioannem  
calumniatur.

Acta synodalia vbi  
extant: &  
cur apud  
Græcos  
scriptores  
eorumdem  
nulla mentio.

Huius Pseudosynodi acta Græce conscripta continentur in bibliotheca Vaticana & Columnensi, atque etiam, teste Radero, in codice Bavarico Augustano. Per Metium Latine translata possidet nunc reuerendissimus & illustrissimus cardinalis Baronius, ex quibus summatim decerpta sunt, quæ infra suo loco subiungentur. De hac Pseudosynodo illud dignum est admiratione, quod nemo Græcorum scriptorum eorum, qui res Basiliæ imperatoris prosequuntur, huius Photianæ Synodi vel verbo vnico meminere: cum

ANNO  
CHRISTI  
879.

contra ferme omnes de octaua Synodo legitima œcumenica, in qua Photius e throno depositus fuit, sermonem faciant. Curo-palates, Cedrenus, Zonaras, Glycas, Constantinus Manasses de huiusmodi Photiana Synodo ne quidem verbum vnum habent, quam sane nequaquam prætermisissent, si talis tamque numerosa habita sacrosanctam & legitimam octauam Synodum damnasset. Hac de causa reuerendissimus & illustrissimus cardinalis Bel-larminus de Conciliis libro I. cap. 5. vbi agit de octaua Synodo, de hoc pseudooctauo & Photiano Conciliabulo post alia hæc subiungit: *Idcirco facile mihi persuadeo, aut esse omnia conficta, quæ dicuntur de Ioanne VIII. ut sanctus Antoninus docet in summa historiali parte 3. titulo 22. capite 13. §. 10. aut certe verum quidem esse, Photium a Joanne VIII. per legatos restitutum in sedem Constantinopolitanam post mortem Ignatii: at cetera supposita & adulterina esse, & a Græcis conficta, ut ex Manuele Calleca Turrianus ostendit in libro de actis VI. VII. & VIII. Synodi. Confirmor autem in hac, inquit, sententia, tum quia Zonaras meminit quidem restitutionis Photii, non autem abrogationis Concilii VIII. nec ablationis illius particula, Filioque, ex symbolo; tum etiam quia Græci in Concilio Florentino sessione 3. non agnoscunt pro Synodo œcumenica Concilium illud sub Ioanne VIII. etsi illis multum prodesse potuisset, si legitimum & germanum Concilium fuisset. Hæc Bel-larminus de hac Pseudosynodo prædicto loco. Eandem ob causam hæc prædicto loco scriptor annalium: *Vnde de ea (Pseudosynodo octaua) suspicio augetur, ut ea tota ita fuerit Photii stylo conficta, ut eiusdem penicillo mendacii colorata, sicut ab eo alias factum esse superius est demonstratum.**

Quibus hæc acta synodalia plane fabulosa videntur.

<sup>b</sup> *œcumenicum.*] Sic nuncupatum, quod legati sedis apostolicæ, Petrus nimirum, Eugenius Ostiensis, & Paulus Anconitanus eidem interfuerint: sed quia ex actis constat, Photium præfuisse Concilio, cui si œcumenicum erat, legati pontificii, iuxta tenorem commonitorii, aliarumque Synodorum morem præfuisse debebant, pseudooctauam placuit appellare: quamquam nulla iniuria etiam Pseudosynodum nominaueris eandem, qua per mille fraudes & imposturas non tantum sacrosancta & legitima Synodus octaua est reprobata, processio Spiritus sancti a Patre & Filio procedentis impugnata: verum etiam Ioanni pontifici & consequenter vniuersæ ecclesiæ turpissimorum criminum maculæ iniustæ, vel saltem aspersæ leguntur. Photium a Ioanne papa non citra culpam per quamdam dispensationem, ut verba commonitorii præ se ferre videntur, post obitum Ignatii, dignitati patriarchali restitutum fuisse nulla ratione negamus: a ceteris vero criminibus de abrogata Synodo octaua, & abnegata processione Spiritus sancti ex Filio, quæ hoc loco Photius illi per calumniam suo more impingere studebat, ipse Deus optimus maximus asseruando in bibliotheca Vaticana integras illius epistolas, & proferendo easdem a Photio corruptas, cælitus illum defendisse videtur.

An fuerit œcumenicum?

Cur pseudooctauam appelletur.

In quibus Ioannes papa sit culpabilis.

<sup>c</sup> *Reprobatum.*] Hanc Synodum vna cum suo auctore a Marino, Hadriano tertio, aliisque summis pontificibus plane condemna-

An, & a quibus fuerit reprobatum.

Concil. Tom. 24.

Nnn ij

tam esse, infra suo loco constabit. Quod vero neque ipse Ioannes papa hanc Photianam Synodum cum additamento condemnationis octauæ Synodi œcumenicæ receperit, manifeste colligitur ex epistola eiusdem papæ 251. ad Basilium reddita: qua dum orientali ecclesiæ de pace & vnione per restitutionem Photii contracta (reliqua enim de abrogatione Synodi, & processione Spiritus sancti, si quid tale ibidem gestum fuit, in suis, quas per legatos Constantinopoli Romam reuertentes ad pontificem destinarent, epistolis, illi dolose suppresserant) congratulatus fuisset, ad finem suæ epistolæ responsoriæ caute admodum adiungit, sic se probare quæ in Synodo de restitutione Photii dumtaxat egissent, vt si quid illi vel hac, vel alia in re præter voluntatem sedis apostolicæ & mandata accepti commonitorii operati fuissent, id nullius plane auctoritatis esset.

An Ioannes  
papa hanc  
Pseudofy-  
nodum ap-  
probauerit.

Verba epistolæ hæc sunt: *Ea quæ pro causa restitutionis reuerendissimi Photii patriarchæ synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recepimus. Et si fortasse legati nostri in eadem Synodo contra apostolicam præceptionem præceperint, non autem recipimus, nec iudicamus alicuius existere firmitatis.* Iisdem prope verbis eadem omnino scripsit in epistola 250. ad Photium reddita. Quare cum ex commonitorio legatis dato, & ex epistola Ioannis 203. ad Paulum & Eugenium scripta liquido appareat, ipsos legatos tantummodo in causa restituendi Photii Constantinopolim missos fuisse, haud dubie his literis pontifex Ioannes plane improbauit si quid aliud in hac Photiana Synodo gestum fuit. Has literas Ioannes dedit Marino episcopo, qui sibi in sede successit: quemque ad hoc misit, vt vir animo constantissimus cuncta, quæ perperam per tres prædestinatos legatos Constantinopoli gesta erant, plane infirmaret. Nam in literis Stephani papæ ad Basilium scriptis, quas infra suo loco ponemus, inter multas Marini laudes hæc verba leguntur: *Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam, te enim in vniuerso orbe Deo dilectum prædicamus; sed tantum ad nostri defensionem, & Marini maiorem gloriam, quæ eadem sensit & sapuit cum prædecessore & doctore nostro sanctissimo papa Nicolao. Et qui dum voluit adimplere quæ illi de ea visa fuerant gemina scilicet legatione, Constantinopoli in maximum deuenit ad vos contemptum & ludibrium diuinus ille Marinus. Et cum noluerit simul duci cum iis, qui aliena sentiebant, & quæ ipse coram tua maiestate synodice gesserat dissoluere & annullare ac irrita reddere: propterea triginta diebus carcere fuit detentus, id sibi gloria potius tribuens, quam contumelia, pro veritate pati.* Hæc de Marino Stephanus papa. Ex quibus satis liquido constat, quod quæ tres legati in causa Photii perperam gesserunt, per Marinum episcopum auctoritate pontificia eiusdem Ioannis VIII. damnata & improbata fuerunt. Quod vero paulo post fraudem impostoris Photii ac ratione cognitam idem Ioannes papa VIII. ipsum etiam Photium damnauerit, suaque quæ prius vel male informati, vel comminationibus imperatoris Basilii inductus in causa Photii restituendi egerat, deinceps improbauerit, resciderit, irritaque reddiderit, testatur epistola Formosi papæ ad Stylianum, in

An Ioannes  
papa Pho-  
tium con-  
demnaue-  
rit.

ANNO  
CHRIST  
879.

cuius sine post recitationem aliarum synodicarum & pontificiarum sententiarum in Photium pronuntiatarum etiam hæc Ioannis papæ VIII. sententia in eundem prolata habetur his verbis:

*Hanc sententiam promulgavit papa Hadrianus, & archidiaconus eius Ioannes, qui illi successor fuit: atque alta voce coram ipso ita proclamavit: In Photio completum videmus, domine sanctissime & œcumenice papa, illud psalmi: Dixit peccator ut delinquat in semetipso: Non est timor Dei ante oculos eius. Posuit in cælum os suum, & graueolens eius guttur aperuit Photius aduersus clauigerum apostolicæ sedis. Accendatur itaque ut ignis zelus tuus, accingere ut vir super femur tuum, & contumeliam apostolicæ sedis ut iustus iudex vindica, & falce sententiæ tuæ abscede memoriam eius, & illos qui eum sequuntur, vel tuentur anathematibus vinculo constringe, & nisi propria voce vel scriptione ipsum dānauerint, ut neq; laicali communionem recipiantur. Qui hæc dixit Ioannes, Hadriano in sede successit, & anathemate Photium damnauit, quando ille seduxit Eugenium & eius socios, qui pro rebus Bulgariae venerant. Cum enim accepisset euangelium, & ambonem conscendisset, omnibus audientibus ita dixit: Quicumque non habet damnatum Photium diuina sententia, sicut ipsum reliquit Nicolaus & Hadrianus sanctissimi papæ prædecessores mei, sit anathema. Hæc ibi. Descripta autem ex superius citato codice Columnensi numero quadragesimo primo, vbi cuncta quæ ad causam Photii spectant, collecta habentur, & post legitur ibidem Ioannis papæ noni epistola ad Stylianum, qua profitetur, eadem sentire se, & eodem loco habere Photium & omnes patriarchas Constantinopolis ab Ignatio vsque ad Antonium, quo habuerunt omnes sui prædecessores Romani pontifices, inter quos numerat & Ioannem his verbis: Volumus igitur, ut etiam nunc secundum eandem regulam, decreta sanctissimorum pontificum prædecessorum nostrorum inconcussa maneant. Quapropter & Ignatium, & Photium, & Stephanum, & Antonium, sicut sanctissimus papa Nicolaus, Hadrianus & Ioannes, & sextus Stephanus, & vniuersa Romanorum ecclesia hucusque tenuit, etiam nos eodem ordine recipimus & tenemus, &c. Superius etiam in eodem codice, post recitatum decretum continens probationem octauæ Synodi sub Hadriano habitæ, quod in dextero aditu magnæ ecclesiæ Constantinopoli contineri dicitur, hæc ibi scripta leguntur: Damnatur Photius anathemate a nouem Romanis pontificibus, a Leone, Benedicto, antequam Photius esset assumptus in patriarcham, ob communionem scilicet cum Gregorio Syracusano, postea vero a Nicolao, Hadriano, Ioanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, & Formoso. Et de Ioanne papa octauo hæc subiiciuntur: Ioannes vero occasione Bulgariae prouinciæ misit Eugenium & eius socios adhuc superstites Ignatio patriarcha, quos cum detinisset Photius, & variis modis coegisset, adduxit eos ut secum communicarent: & alios etiam errare fecerunt. qui Romam reuersi, a Ioanne in ambone illos anathemate damnante fuerunt depositi. Hæc ibi. Quæ cum ita reuera se habuerint, inquit Baronius anno 880. accedet ad hæc probanda illud euidentis argumentum, quod nusquam amplius in literis eiusdem Ioannis papæ ab anno præ-*

Ioannes papa excommunicat Photium.  
Psal. 35.  
Psal. 71.  
Hæc verbo tenus ex Baronio anno 880. num. 11. & seqq.

Legati apostolicæ sedis a Ioanne damnati.

Es  
Chr  
79.  
EX  
a-  
ta  
n-  
n-  
d-  
i-  
r-  
c-  
ti  
t.  
ni  
ta  
o-  
li-  
in  
a-  
ta  
di  
ti-  
lo  
in  
us  
o-  
ad  
ni  
e-  
m  
&  
qui  
jo-  
di-  
qui  
fol-  
uit  
ati.  
at,  
la-  
I.  
em  
I.  
or-  
sa  
ra-  
in

fenti, vsque ad finem sui pontificatus conscriptis mentio de Photio habetur, vt interrupta penitus mutua communicatio visa sit. Cum enim Ioannes minus assequi se posse cognouit promissam restitutionem Bulgaricæ diœceseos, cuius causa inductus Græca astutia fuerat, vt Photium restitueret, & illudum se fuisse planius intellexit, atque etiam quæ contra œcumenicam Synodum octauam facta essent certius adinuenit, & falsatas ab eo suas literas cognouit, & alia innumera ab impostore illo perpetrata esse rescituit: tunc, quod dictum est, Marinum ad ea infirmanda legatum misit, & legatos a se antea missos præuaricatores inuentos damnauit, atque Photium omnium malorum auctorem perpetuo anathemate perculit. Hæc Baronius.

Quid de auctoritate huius Pseudosynodi senserint Græci in Concilio Florentino, dixi supra verbo, *Conciliabulum*.

Numerus  
episcoporum  
quantus  
fuerit.

<sup>d</sup> C C C L X X X I I I. *Episc.*] Omnium nomina teste Baronio in actis Conciliabuli recitantur actione prima: in quibus recensendis & suo more componendis, magna impostoris adulatio, & Græca vanitas cum leuitate eorundem elucescit. Baronius anno 879. n. 64.

<sup>e</sup> *Restitutio Photii est confirmata, &c.*] Hæc qua ratione gesta fuerint ex actis synodalibus in prædictis bibliothecis extantibus, septem actiones continentibus, summatim describit Baronius his verbis.

Compendiosa  
relatio  
actorum  
synodalium  
ex Baronio  
desumpta.  
Actio I.

In prima enim actione recitatur numerus episcoporum trecentorum octogintatrium. In omnibus magna adulatio & Græca vanitas & leuitas. Inter alia autem præfatus in Synodo Photius iactat se, quod Ioannes Romanus pontifex semel & iterum per suos legatos eum inuiserit, nimirum primum per Paulum & Eugenium, deinde per Petrum, sed falso. Siquidem, vt vidimus in literis Ioannis, nequaquam cum eo communicauerunt primi legati Paulus & Eugenius, de quo idem ipse Photius conquestus legitur in literis ad Ioannem ipsum datis.

Post hæc eadem actione Ioannes quidam Heracleæ Thraciæ episcopus multa effutiit contra Romanam ecclesiam, quam omnium illorum quæ acciderant malorum originem appellauit: ad quæ euerenda & curanda, illa esset Synodus congregata: multa etiam contra Nicolaum papam & eius successorem Hadrianum oblatrans ingessit: contra vero, ipsum Ioannem Romanum pontificem valde laudauit. Deplorat vero post hæc multa quæ, vt dicebat, iniuste passus sit Photius. Inducit insuper actio illa legatos apostolicæ sedis munera Photio offerentes, nempe sacerdotales vestes, & ornamenta episcopalia, de quibus nihil in Ioannis pontificis literis, in quibus eiusmodi erant solita scribi. Et sic post alia quædam friuola finem accipit actio prima.

Actio II.

Secunda actio habita legitur decimasexta die Nouembris, indicatione decimatertia, in qua primum lectæ sunt literæ Ioannis papæ ad imperatorem, deinde aliæ eiusdem pontificis ad Photium, quæ superius epistola 199. & 201. sunt recitatæ duplicis editionis. Quibus lectis, Photius interlocutus suas laudes extollit, præcipue suam huma-

ANNO  
CHRISTI  
879.

nitatem falso ostentat erga Ignatium exhibitam, qua etiam iam defunctum eum profecturum vane pollicitus est. Lecta post hæc fuit epistola Michaelis patriarchæ Alexandrini ad imperatorem ad finem illum tendens vt octaua Synodus œcumenica destruat. His lectis introductus est Thomas metropolita, qui fuit vnus ex tribus legatis orientalium sedium in octaua œcumenica Synodo. Aliis duobus, vt illic dicitur, mortuis, procuratum est a Photio, vt hic pœnitens recanter palinodiam de ministerio exhibito in dicta œcumenica Synodo. Lecta est post hæc epistola Theodosii patriarchæ Hierosolymorum ad Photium scripta, tota, vt Photius voluit, encomiastica. Postquam autem lecta est epistola patriarchæ Antiocheni pariter Theodosii nominati eius itidem argumenti, & alia eiusdem generis Abrahamii metropolitæ Amydorum, continens acrem inuectiuam contra octauam legitimam Synodum: terminata est actio secunda Synodi Photianæ.

Tertia vero quæ secuta est actio incidit in decimumoctauum diem eiusdem mensis Nouembris eiusdem decimatertiæ indictionis: in qua lecta primum est epistola Ioannis papæ ad Constantinopolitanam ecclesiam, & episcopos ipsi subiectos, & ad patriarchas orientis, eiusdem argumenti quo priores superius recitata. Quod autem iisdem literis pontifex profitetur pacem se procurare orientalis ecclesiæ, hinc magna secuta est concertatio asserentium, quod iam ante Ioannis literas pace fruerentur sequentes Photium patriarcham, arguentes pontificis literas vti superfluas. Et quod de diœcesi Bulgariæ scripserat, ad imperatorem reiciendum esse negotium clamitarunt, cum agatur, vt aiebant, de imperii terminis, qui sub eius sunt ditione. Lecta est post hæc epistola Theodosii episcopi Hierosolymorum ad imperatorem, qua deplorat miseras suas, quas pateretur a Saracenis, prouocans imperatorem ad elemosynas largiendas. Lectum post hæc fuit comonitorium a Ioanne pontifice legatis datum, suo loco superius recitatum. Et sic clausa est eius diei actio tertia.

Contigit quartam actionem celebrari eodem mense Decembri, feria quinta in vigilia natiuitatis Domini, eadem decimatertia indictione, quæ tamen in alia eiusdem Pseudosynodi editione ponitur ordine prima, vtpote quod omissis tribus aliis superius positis actionibus hæc prima incipit numerari, & sic deinceps vsque ad quartam. In hac igitur actione, primo habetur de legato recens misso a patriarcha Antiocheno, afferente literas etiam a patriarcha Hierosolymitano, qui ingredi iussus literas dedit. Lectæ sunt ipsæ multa in laudem Photii de communicatione mutua conseruata cum ipso continentes, nec non asseritionem illam, legatos nimirum patriarchalium sedium missos antea ad octauam Synodum, fuisse non patriarcharum, sed legatos Saracenorum, istiusmodi inculcantes in destructionem œcumenicæ Synodi: quæ vere creditæ sunt e Photii officina depromptæ. Post hæc introducti sunt duo patricii pœnitentes de his quæ in octaua Synodo contra Photium egissent, affirmantes se a falsis legatis fuisse deceptos. Lecta sunt capitula quin-

Actio III.

Actio IV.

IV. A.



que tamquam a legatis Romanis proposita, primum de diocesi Bulgaria: secundum de non eligendo amplius laico in episcopum Constantinopolitanum: tertium ne ab alia sumatur ecclesia: quartum de Synodo habita contra Photium, ut abrogetur: quintum ut qui cum Photio non communicarent, excommunicati essent. Quæ omnia recepta a Synodo fuerunt præter illud de Bulgarorum diocesi, quod imperatoris voluntati commissum est. Et sic exitum illum est consecuta actio quarta quem Photius voluit.

Actio V.

Quæ autem quinta est actio celebrata, ponitur anno sequenti, die vigesima sexta mensis Ianuarii eadem indictione decimatercia, in qua Photius de septima Synodo sermonem instituit, calumniamque ex eo struxit aduersus Romanam ecclesiam, quod de septima Synodo recipienda, essetne œcumenica, dubitasset, cui legati satisfecerunt. Et firmatum est omnium sententia, ut œcumenica septima Synodus diceretur. His successit citatio Metrophanis metropolitani Smyrnenfis ecclesiæ, cuius summa cum laude est crebra mentio in legitima octaua Synodo, accedere iussus ut schismaticus, qui secutus Ignatii partes, cum Photio noluerit yllo pacto communicare. Inter hæc facta est suggestio, seu potius a Photio ficta, legatorum apostolicæ sedis, ut ex sententia Ioannis pontificis Canon constitueretur, quo iuberetur, ut excommunicati vel depõsiti a Romano pontifice, a Photio non susciperentur, sicut econtra qui depõsiti essent a Photio vel excommunicati, non restituerentur, nec absoluerentur a Romano pontifice.

Canones  
Photianæ  
Synodi.

Sicque confectus de his est primus Canon. quo quis non videat summa Photii calliditate interceptas esse appellationes ad apostolicam sedem, & recursum ad eam? siquidem ablata fuit per Canonem istum auctoritas Romani pontificis, ut iudicare non posset quos Photius condemnasset. Quis animo concipere potest, legatos apostolicæ sedis adeo oscitantes & prodigentes iura apostolicæ sedis, ut & aduersus contra ea obnitentes non tantum non restiterint, sed ut isthæc fancirentur, ipsi suggererint? an non manu palpantur commenta Photii?

7. q. 1. cap.  
45. Tempo-  
ris & hoc  
nequaquã.

Statutus est autem post hæc, eodem suggerente Photio, Canon secundus, ne quis relinquens episcopatum transiens ad statum monasticum, episcopatum retinendi haberet amplius facultatem, nec ad illum reuertendi aditus patefieret. Hic non prætereundum, quod Gratianus male consultus Canonem hunc tamquam ex legitima octaua Synodo descripsit totidem verbis in libro decretorum, qui plane odio Photii impostoris fuerat exsufflandus. Additus est in hac etiam actio tertius Canon aduersus sæculares magistratus carceri mancipantes vel verberantes episcopos. Secutæ sunt hæc subscriptiones omnium, in primis vero legatorum apostolicæ sedis, cum detestatione omnium Synodorum sub Hadriano pontifice contra Photium collectarum.

Actio VI.

Conuenerunt postea iidem die decima mensis Martii, fuit feria tertia, indictione decimatercia, non in ecclesia; ut antea, sed in palatio,

ANNO CHRISTI 879.

latio, in Aureo triclinio, loco ita dicto, ubi actionem sextam habuerunt, cui imperator interfuit, qui ex suggestione Photii fidei definitionem a Synodo postulavit. Sicque consensu omnium exhibita est definitio fidei comprobata in septem Synodis œcumenicis, contestationibus appositis, ne quid ab aliquo adderetur, vel minueretur omnino: recitatumque est Nicænum symbolum siue Constantinopolitanum dictum. Ita suggillantes Latinos, quod apposuissent verba illa, *Filioque*. His approbatis ab omnibus, subscripsit Basilius imperator, improbans sua subscriptione cuncta quæ contra Photium acta essent in octava legitima Synodo, cui ipse subscriperat vna cum filiis, quos & huic Pseudosynodo pariter subscribere voluit. Sicque sexta actio est consummata, acclamationibus præcedentibus.

Post triduum vero, nempe decimatertia mensis Martii, die dominico eiusdem decimæ tertiæ indictionis habita est septima atque nouissima actio in magna ecclesia, ubi iussa est legi fidei definitio in præcedenti actione probata, additis & multiplicatis anathematis, si quis quid ei adderet vel minueret. Sicque absoluta est Photiana Synodus, octava dicta & generalis.

[ *Anno Domini.* ] His temporibus hanc Pseudosynodum Constantinopoli celebratam fuisse, testantur Ioannis papæ VIII. epistolæ 199. 201. & 203. aliæve plures, quæ de rebus ad hanc Synodum pertinentibus scriptæ sunt indictione duodecima anno Redemptoris nostri 879. Ioannis papæ septimo, & Basilius imperatoris orientalis supra decimum tertio.

Tempus haberi Concilii.

Vide quæ hac de re notauimus ad Ioannis papæ epistolas 199. 200. 201. 203. 251. Et post finem omnium eiusdem epistolarum supra. Item quæ post octauam Synodum Græce & Latine narrantur de hac Pseudosynodo Photii.

CONCILIVM MANTALENSE,  
IN QVO REGIS NOMEN BOSONI AB ARELATENSIS  
regni episcopis proceribusque delatum est Idibus Octobris, anno Christi DCCCLXXIX. Ioannis VIII. papæ anno VII. Ludouici & Carolomanni regum primo.

ELECTIO BOSONIS REGIS.

CUM conuenissent sancti patres in nomine Domini saluatoris nostri, conuentum celebraturi apud Mantalam territorii Viennensis, de multis ecclesiæ negotiis tractaturi, & sanctæ sollicitudinis secretarium penetraturi, multis emergentibus, & suimet consideratione cogenti-

Concil. Tom. 24.

Ooo